

à jejunio, abstinencia à carnibus &c. ubi vis locorum potest uti suo privilegio. Layman lib. 1. tra. 3. 4. cap. 2. 3. num. 16. Mezer cit. num. 5. Excipit Layman cit. casum, si dispensatio in lege communi jejunii facta sit pro tota Diocesi ob peculiarem aliquam causam, v. gr. ut in Quadragesima propter tempora belli vesca carnibus liceat, non poterit incola peregrè profectus eo uti in aliena Diocesi, ubi lex communis Ecclesiastica jejunii observatur, quia ejusmodi privilegium censetur adhærere loco; idem dicendum de aliis similibus. III. Si privilegium ad verteretur legibus specialibus locorum, quibus etiam Peregrini, & forenses obligantur, quibus etiam Peregrini, & forenses obligantur, quales dari diximus *sest. præced. quest. 4. num. 254. & seqq.* non potest illo uti in tali loco extra territorium concedentis. Ratio est: quia concedens privilegium non potuit se absolvi, & deobligare à legibus Principis illius loci, per quem transiit, ut patet. Si verò leges speciales tuo privilegio contrariæ sint ejusmodi conditionis, ut illis Peregrini transeuntes non ligentur (quales etiam dari, diximus *sest. præced. quest. 4. num. 257.*) poteris uti privilegio, si adit scandalum. Ratio est: Quia tunc non es subiectus legibus specialibus illius loci, per quem transiit. Ita apud Mezer cit. num. 7. P. Pefschacher.

S. II. Communicatio privilegiorum.

422. Communicari privilegium est jus per privilegium concessum uni, per novam concessionem etiam concedi alteri, quando nimirum privilegium ejusdem rationis conceditur ad imitationem alterius jam prius alteri subiecto concessi. Hoc notato

424. I. Religiosi Mendicantes habent plenissimam inter se communicationem privilegiorum; imò etiam communicant privilegiis concessis aliis Ordinibus non Mendicantibus. Communissima Doctorum Regularium apud Herincx cit. quest. 6. Sannig dist. 2. de privileg. Regular. quest. 4. Reiffensuel in 5. Decret. tit. 33. num. 55. Cassing de privileg. regular. tra. 1. cap. 3. propositione 1. Portel. V. Communicatio privileg. Alphonsus de Casarubios eodem verbo. Rodriguez tom. 1. Q. 2. regul. quest. 55. Miranda tom. 2. quest. 4. & alii. Idque ex variis constitutionibus Pontificiis, præsertim Julii II. Leonis X. & S. Pii V. manifestè patet. Et quidem pro Ordine Fratrum Minorum notanda est amplissima concessio Clementis VII. per Bullam, quæ incipit: *Dum fructus uberes*, in quo Pontifex motu proprio, & ex certa scientia, omnia, & singula privilegia, immunitates, exemptiones, indulgia, Indulgentias, peccatorum remissiones, & gratias, dicto Minorum, & S. Clara, ac Tertio de penitentia nuncupato, Ordinibus, illorumque personis, locisque concessa, & approbat, & innovat: *estque omnia, & singula privilegia, concessiones, Indulgentias, & gratias, quibusvis Ordinum Mendicantium, vel non Mendicantium Congregationibus quomodolibet concessa, & concedenda, suæ professionis regularis observantia non contraria, communicat in omnibus, & per omnia, perinde ac si eis specialiter concessa fuissent.* Ita citata Bulla Clementis VIII. pro Ordine Fratrum Minorum Regularis observantia. Data Romæ 1525. die 30. Maii. Quæ Bulla postea fuit confirmata à Paulo IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. & aliis Pontificibus; specialiter à Clemente VIII. Bulla: Ratio Pastoralis 1597. Unde

423. II. Ordines Mendicantes etiam communicant in privilegiis Societatis Jesu, Quia Gregorius XIV. per Constitutionem quæ incipit: *Illius, quæ*, quæ est 17. in tom. 2. Bullar. Cherub. Cisterciensibus, & Cruciferis, præter cuncta alia privilegia, etiam in specie concessit privilegia Societatis Jesu, cum quibus Cisterciensium privilegiis sine dubio communicant etiam cæteri Mendicantes, præsertim nos Fratres Minores. Imò etiam Ordines Mendicantes communicant in in privilegiis Societatis illis, quæ habent clausulam talem? *Ne illis per communicationem fruatur cæteri Mendicantes.* Ita Diana part. 3. tra. 2. resol. 81. Rodriguez tom. 1. Q. 2. Regular. quest. 55. art. 7. Herincx disp. 4. de Legibus quest. 6. num. 75. Donatus part. 1. tom. 1. tra. 7. quest. 8. Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. quest. 46. art. 5. conclus. 2. Reiffensuel in 5. Decretal. tit. 33. num. 64. Ratio est: Quia subsecutus Gregorius VIII. (qui talem clausulam apposuit) Pontifices, de novo absque distis limitationibus plenissimam concesserunt Mendicantibus, & confirmantur communicationem privilegiorum; quorum Pontificum potestati derogare non statuit, imò non potuit, ullus Antecessor juxta unanimem: *cum non habeat par in parem imperium, cap. exiit. S. ceterum, de verborum signific. & alibi.* Quod autem Successores sine dictis limitationibus concesserint, patet ex Bulla cit. Clementis VIII.

Ratio Pastoralis 20. Decembris 1597. in qua pro Ordine nostro de novo concessit, innovavit, & confirmavit omnia, & singula privilegia quibuscumque, & quomodocumque concessa, non obstantibus quibusvis clausulis irritativis, nullativis, etiam privilegiorum eorum revocativis, restrictivis, reservativis, exceptivis, declarativis, mentis attestativis, ac derogatoriarum derogativis &c. prout amplius videre est in citata Bulla per extensum posita apud Reiffensuel cit. num. 57. idem patet ex constitutione Gregorii XIV. supra in principio hujus numeri citata; adeo, ut eade Reiffensuel cit. num. 65. proin nullum proflus dubium superfit, quin cæteri Mendicantes, præsertim Fratres Minores, gaudeant quoque privilegiis Societatis Jesu, etiam cum clausula, *ne illis per communicationem fruatur cæteri Mendicantes, concessis.*

III. Omnes Moniales S. Clara, & Tertiariæ claustra- 426 liter viventes subditæ Fratribus Minoribus; item etiam aliæ Moniales, quæ non sunt Clarissæ, vel Tertiariæ, si sint subditæ Fratribus Minoribus, gaudent privilegiis Fratrum Minorum. Ita Rodriguez tom. 2. Q. 2. regul. quest. 55. ubi plures hac super re afferit Bullas Papales, idem dicendum, juxta Sannig citat. num. 7. de aliis Monialibus, aliis Religionibus subiectis. Tertiarii verò utriusque sexus, sive conjugati, sive non conjugati, viventes in privatis domibus, non gaudent privilegiis Fratrum Minorum quoad exemptionem à decimis, tributis, potestate Ordinarum sive Ecclesiasticorum, sive Laici, sed illi solum, quibus competunt conditiones requisitæ à Concilio Lateranensi, sub Leone X. quales sunt claustrales viventes &c. (vide P. Kerckhove in statuta nostra Generalia cap. 7. §. 25. num. 10. Cæteris tamen privilegiis, quæ non sunt sublata per Concilium Lateranense, ut sunt mere spiritualia, gaudent possunt. Ad quod facit, quod Sixtus IV. in Mari Magno Carmelitarum Bulla 37. in Bullario Rodriguez, extendat indulgia, & favores tam spirituales, quam temporales ad Tertiarios Carmelitarum etiam conjugatos utriusque sexus, specificans num. 84. etiam Indulgentias. Conformiter Clemens VII. Bulla 5. apud Rodriguez. Tertiariis quibuscumque Ordinis nostri communicat omnia privilegia, favores, & Indulgentias Ordinis Minorum, Predicatorum, Clarissarum, aliorumque Ordinum Mendicantium. Vide Hieronymum Rodriguez resol. 116. num. 40. & resol. 136. num. 1. Novit quoque gaudent privilegiis concessis illius Ordinis professis, in quo annum probationis faciunt; ut constat ex diversis concessionibus Pontificiis, quas vide in compend. privileg. Societ. titulo communicationis, & habet Suarez, Riccius, & alii apud Dianam. & Sannig cit. num. 6.

IV. Circa communicationem privilegiorum adhuc sciendum. I. Quod Religiosi non communicent in pænis, & prohibitionibus alterius Ordinis. Ita Portel. & Herincx cit. quest. 6. num. 81. quia odia sunt restringenda, favores verò amplandi. II. Quod in communicatione privilegiorum subintelligatur, etiam non exprimitur clausula: *quomodò privilegia Regulari observantia non sint contraria.* Hanc enim non præsumitur Papa velle relaxare, nisi, quando id causa cognita, & urgente, expressè declarat. Herincx cit. num. 77. III. In privilegiis subinde adduntur quædam restrictiones ad coarctandum ipsum favorem, & hæc sine dubio communicantur aliis, qui in privilegiis communicant; cum non communicent majorem favorem, quam sit datus in principali concessione. Sic quando datur privilegium familiaribus Fratrum Minorum; sed degentibus dumtaxat intra septa Monasterii, communicatur aliis Ordinibus cum eadem restrictione. Item privilegia concessa in festivitibus Sanctorum Ordinis Minorum communicantur Ordini Prædicatorum cum simili restrictione. Et quidem Julius II. Bulla 18. apud Rodriguez declarat, restrictionem cum proportionem esse accomodandam; adeo ut concessa Magistro Generali Prædicatorum censetur concessa Ministro seu Vicario Generali Ordinis Minorum, & contra: similem item proportionem instituentiam esse Provincialis ad Provinciales, Prælati aut Vicarii loci ad Prælatum aut Vicarium loci, item Congregationis Ordinis unius ad Congregationem Ordinis alterius, Fratrum privatorum ad Fratres privatos, ac denique festivitatem ad festivitatem. Unde colligit Rodriguez tom. 1. Q. 2. regul. quest. 55. art. 20. Indulgentias plenarias concessas Ecclesiis Fratrum Minorum in festivitibus SS. Francisci, Antonii &c. cæteri concessas Ecclesiis Fratrum Prædicatorum pro festivitibus SS. Dominici, Thomæ de Aquino &c. & contra: quamvis festivitatem utriusque Ordinis sint in impari numero. Idipsum tradit Hieronymus Rodriguez, Marchant. in resolutionibus Casuum, casu 15. & Herincx cit. n. 79. Subinde autem additur restrictio non ad restringendum favorem, sed

sed potius ad concedendum favorem speciali instituto; pro- ut ex declaratione Gregorii VIII. conceduntur Societati JESU privilegia cum hac restrictione, ut singuli Religiosi eis uti non possunt, nisi à præposito Generali, vel alio per ipsum deputato eis communicentur. Hæc tamen restrictio non communicatur aliis Religionibus, in quibus ratio istius restrictionis locum non habet: ideòque sicut concessionibus sibi principaliter factis, sic etiam factis Societati per communicationem fruuntur absque tali restrictione. E contra autem Clerici Societatis, sicut privilegiis principaliter Societati concessis, sic etiam aliis concessis per communicationem non gaudent, nisi cum præfata restrictione. Deinde, (ut ait Suarez lib. 8. cap. 17. num. 6.) restrictio ista tunc addita per specialem declarationem Gregorii VIII. postquam privilegia absolute Societati erant concessa, nec proinde restringit modum utendi privilegiis, nisi quoad Societatem ipsam: communicatio autem facta Religionibus est de solis privilegiis, & Gratiis, non autem de hujusmodi declarationibus. Interdum tamen (quod bene notandum) additur ista restrictio ad coarctandum ob specialem causam, & conditionem privilegii, & tunc ipsa communicatur cæteris Religionibus, ut patet in privilegio exequendi literas S. Penitentiarie, concessio Generali Societatis, & per ipsum specialiter deputandis, quod cum tali restrictione etiam cæteris Religionibus communicatur, ut diximus quest. præc. n. 396.

S. III. Cessatio Privilegiorum.

428. I. Multis modis cessare privilegia, omnium est Doctorum Sententia; nam I. privilegium personale perit pereunte persona, cui concessum est, ut juxta reg. 7. juris in 6. privilegium personale personam sequitur. & extinguitur cum persona. Ita cum communi Magistrus Theol. Morat. disp. 2. quæ 6. art. 3. num. 194. Privilegium verò reale perit pereunte re, cui concessum est, quia rei coheret, sicut per destructionem rei etiam perit privilegium juxta reg. 42. jur. in 6. Accessorium naturam sequi congruit principalis. Hoc tamen non est indistinctè intelligendum, sed tunc demum procedit, si res privilegiata destruat sine spe restitutionis. Ita Zoehus in 5. Decret. tit. 33. num. 43. Engel eodem tit. num. 14. Reiffensuel eod. nu. 171. Hinc si res, Ecclesia, vel alius locus privilegiatus destruat, puta, Ecclesia fuerit destructa, cum spe tamen refectionis, conservantur ejus privilegia, & jura, cum hoc discrimine: quod si Jus, vel privilegium adhæreret pavimento, remaneat continuè, ut consecratio loci sacri, quæ etiam salva manet loco destructo. I. Adeo sacra, ff. de Contrah. Emption. ibi: *Adeo sacra terra motu diruta, locus edificii non est profanus.* Si autem usus Juris, vel privilegii præcisè requirit ipsam rem privilegiatam puta, Ecclesiam, adeo, ut alibi non possit haberi, tunc quidem pro tempore suspenditur privilegium; extructa tamen iterum Ecclesia reviviscit, arg. e Pastoralis 7. quest. 1. & cum loca ff. de religiosis, & sumpt. fun. ac notat Zoehus cit. numer. 43. II. privilegium cessat, & perditur per abusum, ex cap. ultim. privilegia, de privilegiis, ubi dicitur: *privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.* Non tamen semper ipso Jure amittitur privilegium per abusum, sed per sententiam, & revocationem est auferendum. Ita Zoehus citat. num. 38. post Suarez. Interdum tamen ipso facto amittitur, quando nimirum de Jure expressum est. III. Privilegium cessat cessante causa, ob quam datum est: nam ut dicitur cap. cessante 60. de Appellat. cessante causa cessat effectus. Intellige hoc de causa finali, quæ est principalis causa privilegii, ita ut ab ea dependeat privilegium & in fieri & in facto, ac consistat, & sine qua princeps privilegium nullo modo concessisset. Nam cessante solum causa impulsiva, non ideò cessaret, cum in ea non nitatur. Item intellige hoc de privilegio, quod derogatur Juri communi, aut alterius tertii, ad cujus conservationem etiam requiritur causa. Siquidem privilegium præter Jus, seu quod continet merum beneficium Principis, ad sui conservationem non requirit aliam causam præter liberalem concessionem: quin imò juxta reg. 16. jur. 6. Decret. concessum à Principe beneficium esse mansurum. Item intellige hoc de privilegio traditum successivum ad actum, seu effectum reitorabilem habente: nam si privilegium in unica tantum actione consistat, putam in dispensatione super Matrimonio, jamque habeat effectum consummatum, v. gr. actualem dispensationem concessam super matrimonio, manebit saluum;

etiamsi postmodum causa cesserit, & ad casum devenierit, à quo inchoari non posset: siquidem, ut habet regula 73. jur. in 6. factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari. Item intellige hoc, quod hic modus per cessationem causæ amittendi privilegium tunc præcipuè procedat, quando finis, seu causa privilegii, non tantum cessat negativè, sed etiam contrariè. Ubi nota, quod tunc causa privilegii, cesset negativè, quando ratio, quæ movet Principem ad concessionem privilegii, non amplius subsistit, usus tamen ejus non est injutus. Contrariè verò tunc dicitur cessare causa finalis privilegii, quando usus propter mutationem materiæ, & circumstantiarum factus est iniquus, ac injutus: nam cum privilegium de re illicita sit nullum, cessabit, quamprimum causa ejus contrariè cessat. Ita Reiffensuel cit. n. 87.

II. Quartò privilegium cessat per renuntiationem liberam, & expressam alicujus personæ particularis, si in ejus solius favorem privilegium fuit concessum; cum liberum sit unicuique Juri suo renuntiare; cap. si de terra, de privilegiis. Si verò privilegium principaliter concessum sit in favorem alicujus communitatis, dignitatis, vel loci, non potest ei renuntiare à personis particularibus illius communitatis vel loci, ex cap. si diligenti, de foro competent. ubi dicitur: *cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat: sed potius toti Collegio Ecclesiastico publicè sit indultum, cui privatorum pacto derogare non potest:* Hinc Clerici etiam volentes non possunt renuntiare privilegio fori, prout decifum habetur cre. cap. si diligenti, de foro competent. Neque possunt renuntiare privilegio Canonis, ex c. coningit 36. de sentent. excomm. ibi: *cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinari, quam in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus;* ut ibidem subditur. Quintò privilegia affirmativa concessa cum gravamine aliorum ver. gr. exigendi decimas, imponendi tributum &c. amittuntur per non usum via præscriptionis, si interim fuit occasio utendi privilegio, & tamen eo usus non fuerit privilegiatus, scienter, spontè, ac voluntariè, & per tempus ad præscriptionem requisitum pro qualitate privilegiorum, de quo tempore videatur P. Patritius Sporer tra. 6. in Decal. cap. 1. sect. 5. numer. 213. Ita communis, & certa apud Reiffensuel cit. num. 204. Ratio est: quia etiam absque obligatione, & servitutes tam reales, quam personales, transeundi per aliam viam, sic præscribuntur, & amittuntur, ut videre est apud Sporer loc. cit. privilegia verò affirmativa, quæ sunt mere gratiæ, atque in nullis gravamen cedunt, v. gr. celebrandi ante auroram, absolvendi, dispensandi, & hujusmodi per merum non usum nunquam amittunt. Ita Reiffensuel cit. numer. 209. Citans Layman, Suarez, Pirrhing, Engel, Bassæum, Bonacinam, Rodriguez, & alios: Idemque nonnulli extendunt ad Indulgentias perpetuas, quæ per longum tempus non amplius fuerunt usitate. Ratio est: Quia hujusmodi privilegia non amittuntur via præscriptionis; cum nemo sit, qui contra hujusmodi privilegia non onerosa præscribere possit. Neque amittuntur per tacitam renuntiationem, quia quilibet liberam facultatem habet privilegio utendi, vel non utendi: unde cum in similibus non usum, vel usum contrarius, sine actus libera facultatis, qui non inducit præscriptionem, vel renuntiationem, non videtur talia privilegia per eum amitti, quomodò habeant causam successivam, & effectum iterabilem. Similiter privilegia negativa mere gratiosa ver. gr. non jejunandi, nunquam amittuntur per usum contrarium, ob rationes modò dictas. Ita Suarez lib. 3. de legibus. 35. num. 22. Pontius lib. 8. de Maritim. cap. 18. num. 2. Pirrhing. tit. de privileg. num. 183. cum communi. Privilegia autem negativa cum onere aliorum concessa, v. gr. non solvendi decimas vel tributum, amitti possunt per utum contrarium. Ita Suarez cit. cap. 34. in 20. & 35. num. 1. & 2. Pontius loc. cit. num. 9. Layman lib. 1. tra. 4. cap. 23. Pirrhing cit. num. 178. cum communi, & certa aliorum apud Reiffensuel cit. num. 213. uti patet ex c. cum accessissent. de constit.

III. Sextò privilegium concessum ad certum tempus, vel actum, perit elapso tempore, aut absolutio actu. Sed Petes: *An etiam privilegium pereat per mortem concedentis naturalem, vel Civilem, id est, per abdicationem officii;* Resp. cum communi apud Herincx disp. 4. de legibus qu. 8. negativè. Ratio est: quia donatio, & gratia simpliciter facta, & acceptata non dependet in conservari ab influxu donantis, aut concedentis. Patet etiam ex c. si super gratia de offic. Judicis delegati in 6. idque verum est, etiam res adhuc sit integra, seu privilegium necdum sit ceptum deduci in usum, nam equidem est gratia absolute facta. Unde à fortiori Confessarii Regulares Mendicantes semel à Provinciali deputati ad dispensandum v. g. cum incultu-

lis ad petendum debitum conjugale, non indigent ulterio-
ri deputatione Successoris, præsertim, cum licentiam, seu
privilegium dispensandi non det ipse Provincialis, sed ipse
Papa, etsi iis duntaxat, qui fuerint à Provinciali depu-
tati. Ita Herincx cit. n. 94. Portel, in dubiis Regularibus
V. Confessor Regularis erga seculares, n. 83. Confirmans
ex eo, quia etiam amoto Provinciali, qui designavit Con-
fessarios Regulares pro secularibus, non expirat eorum
Jurisdicção, cum hanc non det Provincialis, sed Summus
Pontifex. Aliud est, si privilegium non detur simpliciter,
sed cum aliqua conditione illud restringente ad vitam aut
duracionem officii, vel soleat ex consuetudine, aut specia-
libus ordinationibus ita intelligi; prout idcirco interdum
ex usu, vel statutis facultates à Prælatis provincialibus
concessæ subditorum suorum Confessariis super casus
reservatos indigent renovacióne faciendi per Successorem,
de quo noster P. Gaudentius Kerckhove in nostra statu-
ta Generalia cap. 6. §. 22. num. 106. Ita scribit: potestas,
quæ datur aliquibus Confessariis pro aliqua communitate,
seu conventu nostri Ordinis Seraphici, Nationis Germa-
no-Velgicæ, deputatis, qui & Pœnitentiarii illius Con-
ventus dici possunt, expirat per se loquendo, si tales ad
alium Conventum transferantur, & potestas illa pro alio
Conventu non renovetur: quia tantum ratione loci illam
habent. Si autem in eodem Conventu maneat, hæc eor-
um potestas non expirat, donec is, qui dedit, aut Suc-
cessor illius, expressè revocet, vel denuò alios pro illo
Conventu determinet ipsis prætermisiss, ut patet ex hoc
statuto. Ita Kerckhove cit. Unde (pergit Herincx cit. nu.
95.) Facultas audiendi Confessiones, absolvendi à casibus
Papalibus &c. Ordini, imò privatæ personæ concessa abs-
que limitatione, aut sub conditione, quæ per mortem con-
cedentis non extinguitur, perseverat mortuo concedente;
ut si dicatur: Ad beneplacitum Sedis, usque ad revo-
cationem nostram &c. Secus est, si dicatur: donec vi-
vero tempore mei officii &c. idem etiam est iuxta varios
Doctores, si dicatur: usque ad beneplacitum meum: per
mortem etiam cessat beneplacitum. Aliquibus tamen vi-
detur sic loquentem communi usu intendere idem, ac si diceret:
donec revocavero aut aliter ordinavero. Imò sicut
iuxta sententiam plurimorum (de qua in materia de con-
tractibus) possunt cæteræ donationes post mortem donantis
acceptari, sic consequenter etiam possent acceptari privile-
gium post mortem concedentis: ex parte enim illius est
gratia absolutè facta: adeoque non expirat per mortem,
iuxta c. si super gratia, cit. & per consequens non est ratio,
cur nequeat post mortem acceptari, si donationes saltem
sic acceptari queant.

331 Signanter autem dictum est, Gratiam absolutè factam
non expirare per mortem concedentis: Si enim adhuc sit
facienda ab altero, cui facultas committitur, in favorem
determinatæ personæ, expirat. Idem est iuxta probabilem
multorum sententiam, si detur mandatum dispensandi,
ut fieri solet in dispensationibus Matrimonialibus,
quæ committuntur Ordinariis pro foro externo. Con-
fessariis pro interno, faciendæ ab eis, si preces veritate ni-
tantur. Sed contrarium non est improbabile: moraliter
enim censetur gratia ex parte Pontificis esse facta; &
dispensandus acquisivit jus ad dispensationem, ed quod
executor non sit voluntarius, sed dispensare teneatur, si
preces veritate nitantur. Imò aliqui existimant, idem di-
cendum in priori casu, quando executor est voluntarius,
seu quando tantum datur potestas dispensandi, v. gr. cum
aliqua determinata persona: nam eo ipso factus est isti per-
sonæ favor, scilicet, ut ei conferatur dispensatio: favor au-
tem seu gratia non expirat morte concedentis. Quemad-
modum non expirat licentia data ad eligendum confessorem,
qui absolvat, etsi finalem gratiam confessor necdum sit exe-
cutus. Ita Herincx citat. numer. 96. Ad L. inter causa 26. ff.
mandati, in qua habetur, mandatoris morte solvi man-
datum, dici potest, eam intelligi de mandato Jurisdic-
tionis litigiosæ, seu contentiosæ, quod expirat morte man-
dantis, non autem de mandato gratiæ. Quo modo etiam
speciale est Jurisdicção contentiosæ, quæ alicui delegatur,
quod re integra, se nondum inchoata, expiret morte con-
cedentis: secus tamen est de ordinaria Jurisdicção. Similiter
respondere potest ad alia Jura, ea scilicet loqui de Jurisdic-
ção contentiosa, aut certe de materia odiosa, adeoque
ad gratias non debere extendi.

332 IV. Denique amittitur privilegium per revocationem
concedentis, Successoris, vel Superioris. Possunt autem
revocari privilegia gratuita libidinis concessa. Regu-
lariter tamen revocari non potest privilegium conce-
ditum non subdito, nisi status rerum notabiliter mutetur:
dum enim illud à non subdito acceptatur, transit in contra-

ctum. Similiter revocari non possunt privilegia Conventio-
nalia, seu per contractum onerosum subditis concessa, vel
in renunciationem, aut si contineant translationem Do-
minii, nisi gravis causa intercedat. Vide plura apud Sua-
rez lib. 8. cap. 37. & seqq. Ubi notandum, privilegia Regu-
laribus Mendicantibus à Sede Apostolica concessa esse
remuneratoria, ut patet ex Bulla S. Pii V. etsi Mendicanti-
um; & Bulla Aurea Sixti IV. apud Herincx cit. nu.
104. in quibus pro motivo concedendi privilegia Regu-
larium Mendicantium merita adferuntur. Unde etiam abso-
lutè à Pontificibus revocari possunt, tamen ad racionabili-
ter revocandum requiritur gravis, & urgens causa.
Quod tamquam ex communi sententia docet Bassæus in
Supplem. V. Privilegium, num. 15. Notandum præterea,
privilegia non cœteri esse revocata, nisi sufficienter, &
expressè eis derogetur; idque non solum, si non conti-
neantur in corpore juris, sed etiam, si contineantur Jure
communi. Herincx cit. num. 105. Nam generi per speciem
derogatur, etsi species præcedat. Imò privilegiis gene-
raliter revocatis non censentur revocari illa, quæ sunt
in corpore juris; ut rectè inter cæteros docet Suarez lib.
8. cap. 38. num. 1. quia privilegia Juri communi inserta,
tamquam Canones, & leges communes earundem condi-
tiones participant. Quod si privilegium sit concessum in
Concilio generali; debet etiam specialiter ei derogari,
ut censetur revocatum, ut tradit Covarruvias, Meno-
cbius, Sanchez, & alii passim similiter sub generali revo-
catione non comprehenduntur privilegia remuneratoria,
vel conventionalia. Nec item privilegia, in quibus dicitur,
ea non censeri revocata, nisi tenor illorum de
verbo ad verbum in litteris revocationis contineatur. Ad
horum tamen derogationem sufficit hæc aut similis Clau-
sula: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, etsi in
iis expressè caveatur, quod non censentur revocata, nisi
de verbo ad verbum fiat expressa illorum mentio. Quod
est bene notandum pro quibusdam Bullis Jubilæi, & alius,
quæ sic loquuntur. Sic etiam privilegia Regularium Men-
dicantium non censentur sufficienter revocata (nisi fortasse
consuetudo, aut circumstantiæ in specialibus casibus aliam
fuisse mentem revocantis demonstrent) per generalem clau-
sulam, ob nonnullas concessionem exigentes feri specia-
lem eorundem mentionem: tum etiam, quia concessa sunt
ob merita: ut tradit Rodriguez tom. 1. Q. Reg. quæst. 9.
art. 6. Bassæus in Supplement. V. Privilegium, num. 16. ubi
etiam ex Diana, & aliis addit, in debio, an privilegium
sit revocatum, censendum non esse revocatum. An au-
tem ad valorem revocationis privilegiorum requiratur
eiusdem promulgatio? Resp. Quando revocatio privilegii,
Indulgentiarum, vel hujusmodi gratiarum, fit per legem
communem, sufficit ad ejus validitatem legitima promul-
gatio dictæ legis: ita ut in publicam notitiam devenire pos-
sit, neque opus est, eam singulorum auribus inculcare,
arg. cap. 1. de postulat. Prælatorum, & cum aliis Layman
lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. ult. unde quævis alicui in par-
ticulari adhuc, & quidem invincibiliter ignorent legem,
seu ejusmodi revocationem privilegii, tamen illud amplius
non proderit, neque valide quis eo utetur; uti bene no-
tat Pirrhing. tit. de Privilegiis. nu. 197. si verò revocatio pri-
vilegii fiat ab homine, sive privatim, & non per legem
communem, non prius ipsa habet effectum, antequam
revocatio illa privilegii, aut alterius gratiæ deveniat ad
notitiam privilegiati. Ita citati auctores, & alii commu-
niter apud Reiffenstuel cit. num. 134. Ratio est: tum
quia alioquin possent oriri plurima incommoda; ut si
Episcopus dedisset simplici Sacerdoti licentiam assistendi
matrimonio, eamque revocaret infcio illo Sacerdote.
Tum quia id ipsum habetur L. si forte, ff. de officio Præ-
sidis, ibi: si forte Præses Provinciae manumiserit, vel
turorem dederit, priusquam cognoverit Successorem adve-
nisse, erunt in hæc rata.

S. IV. Privilegia Clericorum, & Regularium.

I. Duplex est præcipuè privilegium Clericorum, scilicet 433
Canonis, & fori, privilegium Canonis est, quo à jure
Canonico, seu Ecclesiastico cavetur Clericis ne à quoquam
injuriõse percussantur sub pena excommunicationis late sen-
tentia reservatæ, extra articulum mortis, in Concilio Late-
ranensi, celebrato sub Innoc. II. Anno 1139. & refertur Ca-
none, si quis 29. Causa 17. qu. 4. qui ita sonat: si quis sua-
dente Diabolo, hujus sacrilegii reatum incurritis, quod in
Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit, anathe-
matis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum presu-
mat absolovere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostoli-
co conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat, Ex

Ex quo pariter constat, hoc privilegium esse juris huma-
ni. Privilegium Fori est, quo Persona Ecclesiastica eximitur
à seculari Jurisdicção, tam in civilibus, quam in crimi-
nalibus, simulque ab omnibus oneribus Personalibus,
& realibus Laicorum, & vocatur immunitas Ecclesiasti-
ca: prout decernitur capit. 4. & 8. de Judiciis, & capit. 2.
& 12. de foro competenti, & patet ex Bulla Censæ Domini §.
14. & seqq. attendenda tamen sunt privilegia aliorum
Principum. De quibus vide Clericatum in Prat. de Sacra. in
personas Sacras cap. 27. num. 30. His duobus privilegiis gaudet
imprimis Clerici in Sacris constituti, imò etiam solum
prima tonsura, vel Minoribus Ordinibus initiati, si tamè hi
juxta sanctionem Concilii Trid. Sess. 23. cap. 6. Beneficium
Ecclesiasticum habeant, aut Clericalem habitum, & consu-
ram deserentes, alicui Ecclesia ex mandato Episcopi inser-
vant, vel in seminario clericorum, aut in aliqua Schola, vel
universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores
Ordines suscipiendos versentur. Ratio est: Quia tales sunt
verè Clerici, & Personæ Ecclesiasticæ, gaudentque privile-
gio fori ex Concilio Tridentino mox citato: ergo etiam gau-
debunt privilegio Canonis; cum illud sit majus, hoc minus;
à majori autem ad minus fit bona argumentatio. Ita commu-
nis apud Layman lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 5. num. 3. Dein-
de illud privilegium Clericalibus fruuntur etiam omnes Reli-
giosorum omnium Ordinum etiam militarum, eorum con-
verti, seu Laici, ac Novitii: item Moniales omnes tam
professæ, quam Novitæ, per cap. non dubium 5. cap. de mo-
nialibus, 33. de jent. excomm. Ad nos reducentur Eremitæ,
qui sub obedientia Episcopi, vel Prælati Regularis,
ejus Ordinis habitum Religiosum gestant, & à secularibus
curis segregati vitæ solitariæ exercitiis vacant. Non au-
tem illi, qui absque Superioris Ecclesiastici auctoritate pro-
prio libitu ejusmodi habitum gestant, vitamque exer-
cent, uti cum Navarro, Sylvestro, Engel, lib. 5. titul.
39. num. 130. Bordonio de Privilegiis Clericis. cap. 1. num. 31.
Rodriquez tom. 2. Q. Regul. qu. 63. art. 4. Molina tract. 3.
disput. 52. num. 4. Suarez, Reiffenstuel, Mezger, tractat.
8. disput. 39. art. 1. num. 5. Docet communissima. Quan-
tum ad Tertiarios, qui tertiam Regulam, & habitum Or-
dinis S. Francisci, vel S. Dominici susceperunt, dubitari
non potest, quod sint personæ Ecclesiasticæ. & earum pri-
vilegiis gaudeant, si editis tribus votis essentialibus verè
Religiosis sint, sub Regula, & Jurisdicção Ordinis Men-
dicantium viventes ex concessione Sixti IV. apud Rodri-
quez tom. 3. Q. regul. qu. 72. art. 1. conclus. 3. Mirandam
in Manuali Prælatorum titul. 1. qu. 36. Quoad alios verò
Tertiarios, Leo X. apud Rodriguez tom. 2. Q. regul.
qu. 65. art. 6. & Layman lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 5. n.
4. decrevit, quod Fratres, & Sorores, qui dicuntur ter-
tium Ordinis, si in propriis domibus habitent, secularibus
personis omnino annumerari debeant. Sin autem
collegialiter vivant sub habitu, & voto aliquo expresso,
gaudere eos oporteat privilegiis, quibus Fratres Ordinis,
qui tertiam Regulam habitum gestant, potiuntur, & gau-
dent, Idem docent Lantusca in Theatro Regularium V.
Tertiarii, Mattheucci in officiali Curie Regularis, V.
Tertiarii. Kerckhove in statuta nostra General. cap. 7. §.
25. num. 9. & seqq. similia habet Reiffenstuel in 3. Decret.
titul. 1. num. 27. dicens, quod Tertiarii, seu illi, qui habi-
tum tertie Regulæ cusulpiam Ordinis de manu Prælato-
rum ad hoc auctoritate Pontificia facultatem habentium
recipientes, sub ejusdem, vel Episcopi loci obedientia vi-
vunt, atque Ordini, vel alteri Ecclesiæ deserviunt, quam-
vis tria vota substantialia Religionis non emittant, atque
idecirco proprium habere possint, censentur personæ Eccle-
siasticæ, sicut in favorabilibus veniant nomine Cleri-
corum. Quia pro his militant eadem rationes, quæ pro
Eremitis, qui sub obedientia Episcopi vivunt, de quibus
diximus supra. Miranda in Manuali, titul. 1. qu. 29. mon-
net distinguendum esse: Quod alii sint Fratres Laici, qui
communem cum aliis Religiosis Regulam profitentur,
eosque esse verè Religiosos: nemo dubitat. Alii verò sunt
Fratres Conversi, qui mutato seculari habitu, & assum-
pto Regulari, quamvis distincto à Cæterorum Religio-
sorum habitu, alicui Ecclesiæ, vel Religioni se devote-
runt, emisso voto simpliciter continentia, interdum
etiam obedientiæ, & paupertatis: & hi haud dubie
sunt Personæ Ecclesiasticæ, atque Ecclesiastica immunitate
gaudent, quamvis non sint propriè Religiosi: quia non
profiterentur Regulam Ordinis, nec habent votum solem-
ne, sed simplex continentia. Denique alii sunt Oblati,
seu Donati, qui nulla facta mutatione habitus, neque emis-
so voto continentia aut obedientia in domibus suis man-
nent: quamvis ad majoris meriti cumulum, sua bona Re-
ligioni dicant: & hi non sunt propriè personæ Ecclesia-
supplem. Theol. Decal.

ficæ, neque Ecclesiastica immunitate gaudent. Vide Laym.
lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 5. n. 4.
II. Personæ Religiosæ, tamquam Summis Pontificibus,
diversis favoribus, gratiis, ac privilegiis fuisse condedcoratæ:
quæ quidem singillatim omnia prosequi, non est nostrum
propositum, quia ea non caperent augustiæ hujus Sup-
plementi; hinc pauca tantum, & in communi delibare
proponimus. Itaque præter Canonis, & fori, aliaque Cleri-
corum privilegia, etiam Regularibus competentia, de quibus
in præcedentibus dictum.

Primum non tam privilegium, quam gratia toti sta-
tui Religioso communis, & propria est, quod per Reli-
giosam professionem conferatur perfectissima remissio om-
nium peccatorum, tam quoad culpam, quam quoad pœnam:
quæ quidem Indulgentia, tamen fuisse à Paulo
V. Summo Pontifice concessa, tamen etiam independentem
ab illa concessione, est ex natura rei annexa ipsius profes-
sionis Religiosæ dignitati, quippe in qua homo omnia sua,
suumque voluntatem, qua nihil habet præstantius, DEO
offert. Ita docent D. Thomas 2. 2. qu. ultim. art. 3. ad 3.
Hieronymus Platus de bono status religiosi lib. 1. capit. 15.
Layman lib. 4. tract. 5. cap. 10. Azorius, Mezger, & alii,
Imò noster S. Bernardinus Senensis in Quadrages. tract. 2.
serm. 24. ar. 1. affirmat, toties prædictam Indulgentiam
renovari, quoties seriâ voluntate renovatur Sacra Profes-
sio. Eius verba sunt: Hæc libertas non solum datur in
illa hora, qua ipsum votum emittitur, sed etiam in omni
tempore, quo sibi vovisse placet, & in quo cum hac complacentia
votum implet Aditplantur Carthus in opus-
de Profess. Mon. Hyacinthus Casal. in Cens. Christ. in Monit.
ad Relig. num. 5. Layman. cit. num. 2. Sa V. Religio. nu.
17. Paulus Mezger tract. 8. disput. 39. art. 5. numer. 4.
& alii. Ratio est: Quia vota, quæ in Religione eduntur,
ideò afferunt plenam remissionem peccatorum, quia
continent perfectam traditionem hominis erga DEUM:
sed hæc traditio non semel, sed iterum fieri, seu renova-
ri potest: ergo etiam remissio peccatorum iteratò ac-
quiri.

Secundum status Religiosi privilegium est, quod om-436
nia alia vota, & Juramenta pia, per solemnem Religio-
nis professionem ipso jure expirent, non per irritationem,
aut redemptionem, aliamve relaxationem, imò
nec per propriæ voluntatis sui intentionis commutato-
nem, sed per veram solutionem, spectata natura ipsius
operis in perpetuum DEO præstandi. Ratio est: quia
per professionis Religiosæ obligationem omnes hominis fa-
cultates, ac vires in perpetuum, & irrevocabiliter DEO
offeruntur, ideò eminenter in se continent omnes alias par-
ticulares obligationes, ad eum modum, si quisquam erga
hominem obstrictus debitis, omnia bona sua illi offerat,
& se ipsum in servum perpetuum addicat, talis plenissi-
me satisfacisse censetur. Ita D. Thomas 2. 2. qu. 88. ar.
12. ad 1. Barbosa in cap. Scriptura 4. de voto, citans So-
rum: Navarrum, Ledesma, Azorium, Sagrum, Miran-
dam, Rodriguez, & alios. Item Layman cit. num. 3. Pa-
ludanus, Sanchez, in præcepta Decalogi, tom. 2. lib. 5.
cap. 5. ubi num. 38. tenet, ipso jure vota in sæculo facta
censeri commutata in Religionis professionem, proinde
absque alia commutandi intentione manere profitentem ab
eis liberum, & num. 39. resolvit idem dicendum esse de
votis tempore novitiatus emisis, & num. 43. quod omnia
vota sive personalia sive realia commutentur ipso jure in
Religionis professionem, quod etiam tenent Covarruvias,
Ludovicus Miranda in Manuali Prælatorum tom. 1. qu.
25. Naldus V. Votum num. 50. Suarez tom. 3. de Relig.
lib. 6. cap. 14. num. 5. Addit Sanchez cit. num. 45. Vo-
tum reale emissum non solum DEO, sed intantum parti,
ut ab ea acceptetur, & ita conjunctum cum promissio-
ne illi parti facta, non posse in Religionis profes-
sionem commutari, quia tunc est jus ipsi acquisitum, &
ita cessat commutatio in melius. Et numer. 47. pariter
ob eandem rationem resolvit, hæredem obligatum ad
realia defuncti vota persolvenda, non eximi Religionis
professione, sed obligationem illam ad ejus hæredem
transire. Et num. 50. docet votum subsidiæ terræ sanctæ
commutari in professionem, non solum, quoad il-
luc eundi laborem, sed etiam quoad illius subsidiæ ex-
pensas; quod etiam tenent Miranda, Suarez. ll. cc.
An autem per simplicia vota emissa in Societate JESU,
aut Coadjutorum formatorum post biennium Novitiatus,
vota antea facta extinguantur, vide Sanchez cit.
num. 54.

Tertium status Religiosi privilegium est, quod per pro-437
fessionem in Religione tollatur irregularitas ex natalium